





~~SM.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.  
VI-73. ———  
SIGNAT. cIbIbCCCXIII.





54  
DISPUTATIO LOGICA,  
DE  
PARTIBUS ENUNCIATIONUM,

*De quibus*  
DIVINA ANNUENTE GRATIA,  
*IN ALMA AD ALBIM ACADEMIA,*  
SUB PRÆSIDIO

DN. M. JOHANNIS ANDREÆ LUCII,  
DRESDENSIS.

*Die XXII. Octobris,*  
horis matutinis,

*Placidam sententiarum collationem instituet*  
GOTFRIDUS BECCIUS, Mōccarenfis Saxo,  
Aut. & Resp.

---

WITTEBERGÆ

Typis Johannis Röhneri Acad. Typogr.  
ANNO M DC LI,









ΣΥΝ ΙΕΩ.

THESIS I.

**T**Ria mentis humanae esse opera: terminorum simplicium abstractionem, eorundem compositionem, & ex compositis ratiocinationem, non tantum Aristoteles jam olim docuit, sed hodie etiam ore omnium Interpretum ac Philosophorum comprobatur. De *secunda* mentis nostrae operatione, & quidem praecipue de *partibus Enunciationum*, quales sunt **NOMEN & VERBUM**, quae adjuncta copula **EST**, orationem verum aut falsum significantem efficiunt, hac vice cum Deo propitio, non nihil acturus sum.

II. Ut autem haec res eò rectius percipiatur, eum servabo ordinem, ut *primò* de divisione vocis simplicis quaedam praemittam: *secundò*; quae sit definitio & natura Nominis & Verbi, explanem: *tertio*; de eorundem differentia agam, & *quarto* denique controversias praecipuas, quae circa copulam **EST** moventur, adducam, veramq; de ea sententiam breviter subjungam.

III. Nunc ut ab ovo, quod dicitur, res repetatur, sciendum est, *vocem significantem* rectè dispesci in simplicem & complexam. *Simplex* dicitur, quae unum principale significatum in mente audientis gignit, ut, homo, lupus. Quapropter excluduntur hinc *equivoca*, quae voce quidem simplicia sunt, at ratione plurium significationum complexum aliquem in mente conceptum generant; Tale quid est vox simplex, unde quid sit complexa, facile etiam intelligi poterit.

IV. Caeterum Aristoteles *duo* vocis simplicis membra constituit, *Nomen* videlicet & *Verbum*; non propterea quòd praeter haec plures voces simplices non dentur, sed quia haec duo principaliter aliquid significant, & exinde per se & primò orationes componuntur. Etenim caetera dictiones non tam



significant aliquid per se, quàm con significant reliquis. Unde etiam non hæ, sed illæ partes seu principia, ut alii loquuntur, orationum dici merentur.

V. Et res quidem in aprico est: *Pronomen* enim ad *Nomen* pertinet, quippe quod inde appellationem sortitum fuit, quòd vices *Nominis* sustineat. *Participium* partim ad *Nomen*, partim ad *Verbum* spectat: ad *Verbum*; quia actionem & passionem, & quidem cum differentia temporis denotat: ad *Nomen*; quia declinatur, flexionemque admittit. Unde etiam à Grammaticis *nomen verbale* vocari amat. De cæteris, ex. gr. Præpositionibus, Adverbiis &c. res clara est.

VI. Præterea, quando hîc asseritur, *reliquas* voces simplices ad *Nomen* & *Verbum* esse referendas: observandum est, diversa ratione hoc fieri. Aliæ enim voces *directè*, aliæ *indirectè* seu obliquè ad dicta duo membra revocantur. *Directè* eò rediguntur omnia cætera *Categoremata* præter *Nomen* & *Verbum*, eo quidem discrimine, ut, quæ tempus non ad significant, *Nomini* annumerentur, ut sunt: *nomina infinita*, *adjectiva* adjectivè accepta & *pronomina*; quæ verò temporis notationem involvunt, *Verbo* ascribantur, qualia sunt: *verba infinita*, tempora *præteriti*, & *futuri* indicativi modi, ut & *participia*. *Indirectè* autem ad *Nomen* & *Verbum* reducuntur cæteræ voces simplices, ea nempe omnia *syncategoremata*, quæ suo modo sunt partes & non vincula tantùm orationis. Sic tamen distribuuntur, ut, quæ tempus non notant, ad *Nomen*; quæ verò connotant, ad *Verbum* spectent.

VII. Quò fit, ut ad *Nomen* obliquè referantur *tum* casus *Nominum* etiam infinitorum & adjectivè acceptorum, itemque pronominum, *tum* etiam quædam adverbia more casuum ex nominibus deducta, ut, doctè, sapienter: ad *Verbum* verò omnes verborum casus etiam infinitorum, nec non casus participiorum. Sed hæc omnia, quia orationem per se non efficiunt, nec verum, aut falsum enunciant, non est, quòd de iis magnoperè laboremus.

VIII. Ergo rectè divisa est vox simplex, uti liquet, in *Nomen* & *Verbum*, & quidem tanquam in suas *Species*: quippe hæc



hæc distinctio non *accidentaria* est, ut nonnulli perperam con-  
tendunt, sed *essentialis*, (quanquam non ita propriè, sed impro-  
priè potius & analogicè vocabulum *speciei* & *essentia* huc ac-  
commodentur) Hoc autem ut eò rectiùs intelligatur, notan-  
dum est: voces significativas illas *specie diversas* censerè, quæ  
intervenientibus *conceptibus specie diversis*, aliquid denotant.  
Unde tale exurgit argumentum: *Quæcunque* voces differunt  
in significando mediantibus conceptibus specie diversis, illæ  
differunt essentialiter. Atqui Nomen & Verbum ita diffe-  
runt. Ergo. Minorem nemo inficiabitur. Licet enim  
cum Nomine & Verbo nonnunquam res una indicetur,  
tamen aliter unum illorum exprimit ipsam rem, aliter al-  
terum.

IX. Et quidem *duplicem* imprimis inter Nomen & Ver-  
bum licet notare diversitatem. *Prior* est: quoniam *Verbum*  
semper significat suam formam compositam cum subiecto, at-  
que adeo semper est connotativum. *Nomen* verò significat  
illam formam per se, præsertim, si est abstractum, v. gr. *amor*  
formaliter ipsam rem, videlicet amorem, denotat; *amo* au-  
tem præter formalem significationem, temporis differentiam,  
& aliquam connexionem importat. *Posterior* diversitas est  
hæc: quòd *Verbum* significet formam per modum actionis seu  
in fieri; *nomen* verò in facto esse per modum qualitatis. Unde  
non possunt non exoriri & specie diversi conceptus, & essen-  
tialis differentia.

X. Enucleatis jam iis, quæ circa vocis simplicis divisio-  
nem monenda fuerunt, ordo requirit, ut ad ipsas *partes* Enun-  
ciationis pergam, & quænam sit *definitio* atque natura Nomi-  
nis ac Verbi dispiciam. Ac primò omnium de partibus E-  
nunciationis diligenter observandum est, quòd *due* illæ im-  
primis sint: *Materia* scilicet & *Forma*. Ut in domo *aliqua* (verba  
sunt *Toleti*, quæ Excell: Dn. D. Scharffius in Instit: Log: l. 2. c. 2.  
adducit) *sunt lapides, calx, ligna, quæ dicuntur partes materiales;*  
*at connexio & compositio partium forma est: ita similiter compositio*  
*ipsa in orationibus est forma*. Extrema autem, quæ com-  
ponuntur, sunt partes materiales, quæ extra propositionem  
Nomen,



Nomen, & Verbum; respectivè verò & quatenus Enunciatio-  
nem ingrediuntur, Subjectum & Prædicatum vocantur. Un-  
de illud ab Aristotele τὸ ὑποκείμενον, hoc verò τὸ κατηγορούμενον  
nuncupatur.

XI. Porro Enunciationis partes faciunt vel *principales*, ut  
Subjectum & Prædicatum; vel *minus principales*, quæ veris par-  
tibus commiscuntur, h. e. ad Subjectum & Prædicatum appo-  
nuntur. Unde dicuntur συγκατηγορήματα, quòd una cum  
aliis Categorematis, nempe Subjecto vel Prædicato conjun-  
gantur. Talia sunt *particule* distributivæ, exclusivæ, restri-  
ctivæ, vel determinationes aliæ.

XII. *Nomen* autem, quod inter partes materiales primum  
locum occupat, est *vox recta significans ex instituto definite ac sine  
tempore, cujus nulla pars separatim significat.*

XIII. Duo in hac definitione spectanda sunt: Genus vide-  
licet, & Differentia. *Genus* Nominis vox est, quod commu-  
ne est tam vocibus ἀγράμματαις, quæ per se scribi non pos-  
sunt, ut sunt voces *brutorum*, quàm γραφουμένων, quæ literis  
consignari queunt, ut sunt voces *articulate*, quæ propriè huc  
spectant. Distinguit ergo hoc genus Nomen à sono, & de-  
sumptum est à materia: Nominis enim, Verbi, omniumque  
Symbolorum παθήματα ἐν τῇ ψυχῇ materia vox est, teste A-  
ristotele 5. de gen: anim. c. 7. Reliquis verbis exprimitur *diffe-  
rentia*, quâ Nomen partim ab aliis vocibus, partim ab ipso  
Verbo, partim denique ab oratione discriminatur.

XIV. Nomen porro dispescitur in Nomen *finitum*, ut:  
Equus, leo, & *infinitum*, ut: non equus, non-leo. Illud est,  
quod aliquid certi determinat; hoc nihil certi. *Item*: in Re-  
ctum & obliquum. *Rectum* sunt casus recti nominum, ut:  
homo, arbor, arbores. *Obliquum* verò sunt omnes casus no-  
minum obliqui, ut: hominis, homini, arborum, arboribus.  
Et illa quidem propriè nomina sunt Logico; hæc impropriè;  
unde etiam non nomina, sed casus nominum dicuntur.

XV. Exinde igitur emergit: *solum Nominativum* in ora-  
tione Logica *subjectum* esse posse. *Vocativus* itaque cum omni-  
bus casibus obliquis hinc amoveantur necesse est: quia Verbo  
juncti



juncti nihil veri aut falsi significant, neque per se subjecti locum occupare queunt, ut: *judicis est: o planta, est Ciceronis, Ciceroni.* Et hanc ob causam posui etiam in definitione vocem *recta*. Illud tamen omnino hic notandum est: *Omnia nomina obliqua* ab Enunciationibus arcenda non esse, sed quatenus vel *sola*, vel *per se* partes Enunciationis esse nequeunt, ut rectè monet Dürfeldius in Exeg: Log: l. 3. disput. 4. c. 1. Aliàs enim illa admitti neminem clam est, quatenus scilicet juncta cum rectis, eorum sunt determinationes, aut rectificari & loco nominativorum poni possunt.

XVI. Consequitur inde & hoc: *solas voces significativas*, quæque ex arbitrio hominum dependent, in oratione Logica locum habere posse. Ergo non solum verba, *Blictri, Scindapsus*, itemq; voces *infantum*, quando primùm lallare incipiunt, sed etiam omnes sonos, vocesq; omnium *animalium naturaliter* aliquid denotantes, ut sunt: gemitus hominum, latratus canum, hinnitus equorum, hinc ablegamus: illa quidem; cùm omni certâ rerum significatione destituta sint, nec subjecti loco in oratione Logica per se stare queunt; hæc verò, quia non impositione hominũ, sed naturâ dũtaxat significant.

XVII. Neque verò nomina *infinita*, ut sunt non homo, non-animal huc propriè faciunt, quæ Aristoteles non simpliciter nomina, sed nomina infinita appellanda esse cenlet, eò quòd nullum certum entis veri aut ficti conceptum intellectui subjiciant, cùm & de iis quæ non sunt, dicantur. Sic v. gr. *non homo* res infinitas & innumerabiles, imò quicquid in natura rerum existit præter hominem, denotat.

XIX. Quando autem ulterius in definitione Nominis dicitur: *cujus nulla pars separatim significat*, nemo est, qui non videat, orationes à Nomine longis parasangis distare. Omnis namque orationis pars aliqua separatim ac per se in ipsa orationis structura significat, quemadmodum videre est ex his: *Homo sedet, Actio honesta parit virtutem*: in nomine verò non item. Et licet *composita* figuræ nomina sint, quæ seorsim aliquam significationem exprimere videntur, tamen nihil innuunt *ejus rei*, quam aliàs vox *tota* denotare consuevit; quæ  
verba



verba omnino hîc subintelligenda, & accuratâ annotatione digna sunt. Alioquin enim fieri potest, ut vocis alicujus particula aliquid notent, sed nihil ejus, quod totum. Sic v. g. in hoc vocabulo, *corpus*, prior pars significat præcipuum aliquod membrum corporis humani, græceque *καρδιά* vocatur; posterior autem materiam putridam denotat; sed nihil hæ particulae seorsim sumptæ exprimunt ejus, quod totum.

XIX. Nunc ulterius videndum est, quid sit *Verbum*, quod constituit alteram Enunciationis pattem. Hoc verò nihil aliud est, quàm *vox consignificans tempus modi indicativi definitè; cujus nulla pars significat separatim, semperq; est nota eorum, quæ de alio prædicantur.* Sunt igitur affectiones Verbi, ut liquet tres, 1. *significare rem*, & quidem certam ac definitam. 2. *consignificare tempus*, & 3. *posse poni loco prædicati.*

XX. Verbum porro aliud est finitum, aliud infinitum. *Finitum* est, quod certam ac definitam actionem aut passionem significat, ut, *amat, discit.* *Infinitum* est, quod propter appositam negandi particulam, denotat indefinitam actionem aut passionem. Notanter dico, *indefinitam*, quia potest similiter prædicari de quovis Ente & non-Ente. Quod ut eò melius cognoscatur, animadvertendum est, terminum *infinitum* nihil certi & determinati innuere, eamq; ob causam Enti & non-Enti posse attribui. Sic possum dicere, quod *quidam non homo sit Ens & non-Ens*, quia nihil certi determino per quendam non-hominem. Neque obstat, quòd quis dicere velit, impossibile esse, ut aliquid simul sit, & non sit: Etenim hoc axioma de re certa & determinata loquitur, adeoq; huc accommdari nequit.

XXI. Verbum verò infinitum vel totaliter est infinitum, vel ex parte. *Totaliter* infinitum est, quod formale suum significatum negando ponit quodammodo asseritq; aliud, ut cum dico: *sedet, non-sedet; valet non-valet.* Hic non-sedere & nõ valere sunt verba totaliter infinita, quibus negatur sessio & valetudo. Verbum *ex parte* infinitum dicitur, quod circum-

scri-



scriptionem tantum formalis significatus negat, & aliud ponit. v.g. Judas fuit discipulus non-constans. Hic esse discipulum non-constantem, est verbum, quod ex parte tantum infinitatur, cum non negetur esse discipulum, sed discipuli duntaxat constantia.

XXII. Denique Verbum aliud est absolute & simpliciter verbum; aliud, πῶς ῥήματα casus verbi. Absolute verbum significat τὸν παρόντα seu tempus praesens, ut, disputat, amat; Casus autem verbi significat τὸν πᾶσι χρόνον prae-teritum & futurum. Verba autem praeterita & futura appellantur casus verbi, secundum translationem à Nominibus factam, seu propter deflexionem: quia, quemadmodum casus sunt à Nominibus; ita & praeterita & futura sunt à tempore praesenti. Et hanc ob rationem etiam Aristot. 1. περὶ ἑρμηνείας cap. 2. praeterita & futura dicit significare τὸν πᾶσι χρόνον, id est, tempus, quod praesens circumit, circumstat, vel ambit. Praeteritum quippe est, quod aliquando fuit praesens: Futurum est, quod aliquando erit praesens. Haec vocantur verba secundario; illud primario.

XXIII. Unde in proptulo est: solum Verbum significativum in oratione Logica praedicti loco stare posse. Quemadmodum enim Nomina aliquid significant; ita Verba, si princeps eorum significatus attenditur, remota secundaria, temporis videlicet & connexionis significatione, sunt ὀνόματα, i. e. similia nominibus, seu voces ex instituto aliquid significantes.

XXIV. Nec etiam cuiusvis temporis Verba huc spectant, sed illa tantummodo, quae sunt temporis praesentis. Nam hoc tempus ad Enunciationem est aptissimum: quia in praesenti maxime fundatur verum aut falsum; reliquorum vero temporum veritas à veritate praesentis dependet. Unde patrocinium invenit Scholasticorum regula: Enunciatio de tempore praeterito & futuro verificatur per enunciationem de tempore praesenti. Sic v. gr. haec Enunciatio: Cain interfecit Abelm, vera est, quia aliquando fuit tempus praesens, quo

B

verè



verè dici potuit, *Cain interficit Abelem*. Similiter & hæc: *Christus redibit ad iudicium*, vera est propter præsens tempus; quippe aliquando verè dici poterit; *Christus redit ad iudicium*.

XXV. Fluit inde & hoc: *soli modo indicativo* in Enunciatione locum esse relictum. Quicumque enim modus Nomi- ni junctus certi quid affirmat aut negat, adeoque verum aut falsum enunciat, ille solus ad Enunciationem Logicam conficiendam est utilis: quia hic est Logicæ finis; veritatem indagare, & à falsitate discernere. Atqui solus indicativus Nomi- ni junctus hoc facit. E. Imperativus quippe est, quo imperando plerumque utimur. Subjunctivus inde appella- tionem accepit, quòd conjunctionibus, aut infinitis particu- lis subjungatur: nec enim hic, nisi alteri orationi substerna- tur, per se sententiam absolvere valet. Infinitivus dicitur, qui neque personam certam, neque numerum definit; sed in- finitè agere aut pati significat: unde is etiam per se Enuncia- tionem Logicam constituere non potest. Solum igitur In- dicativum ad enunciationem Logicam conficiendam facere, ratum esto.

XXVI. Cæterùm de *Verbis infinitis* disceptari à Logicis so- let, *an in Enunciatione maneant infinita*, nec ne? Sunt, qui hoc affirmant: putant enim, hujus Propositionis: *Petrus non labo- rat*, sensum esse, non: *Petrus non est laborans*, sed: *Petrus est non laborans*.

XXVII. Verùm nos dicimus, usum loquendi non admit- tere, ut verba illa, ex. gr. *non-laborat*, in Propositione posita interdum denotent, est non-laborans, interdum verò, non est laborans, sed posterius significant. Unde alii contrarium statuunt, affirmantes, *Verbum infinitum* in propositione non differre à negato. Huic sententiæ & ego subscribo, dicens cum Clariss. D. Scharff: ex Manual. Log. l. 2. cap. 1. Enunciationem infinitam ex parte prædicati æquipollere neganti infinitæ, v. g. *Omnis rudis est non doctus*, *Nullus rudis est doctus*. Loquor autem de iis Enunciationibus, qui terminum *totaliter infinitum*



rum habent; nam in iis, quæ constant terminis *ex parte* duntaxat infinitis, non procedit; hæ enim à negantibus longe differunt. Sic verum est, quando dico: Adam in statu integritatis *poterat non mori*; falsum verò, si sic effero: Adam *non poterat mori*. *Posse enim non mori*, negat moriendi necessitatem; *non posse mori* autem negat moriendi possibilitatem. Sic Deus non potest mori, nec homo in æterna vita. Deinde discernendus hîc est terminus infinitus *prædicabilis à prædicato ipso*. Sic v. g. hic terminus, *non currit*, est prædicabilis, & quidem infinitus: at quando idem terminus propositionem ingreditur, & actu prædicatur, ut cum dico: *Equus non currit*, tum non amplius manet infinitus, sed revera fit negans. Postremo distinguendum quoque est inter *propositionem absolutè positam & respectivè consideratam*. Nam si propositiones infinitæ absolutè spectentur, utique æquipollent negantibus. Quòd si autem in syllogismo (verba sunt D. Horneij Exercit. Log V. de Nominis & Verbo) & quidem *primæ figure* ponantur, ubi major subiectum infinitum habet, propter respectum illum ad majorem accidit, ut verbum infinitum etiam in propositione maneat quale sit. Verba igitur infinita respectivè considerata propositionem ingredi, conceditur.

XXVIII. Et hæc hactenus definitio & natura Nominis & Verbi enodata est: nunc porro, quam in re hæc duo differant, perpendendum erit. Differentia verò Nominis & Verbi consistit *primùm* in eo, quòd illud significet *sine tempore*; hoc cum tempore, seu tempus adsignificet. Est autem *adsignificare tempus* nihil aliud, quàm consignificare rem cum tempore, sive non tantùm rem denotare, sed etiam circumstantiam temporis rei annexam. Atque ita verba præter primariam rei significationem, involvunt secundariam, nempe temporis. Notanda hoc loco veniunt verba Excell. D. Scharff: ex Instit. Log. l. 2. cap. 2. *Tempus hoc*, inquit, *nunc est quævis duratio temporis, sive successiva illa fuerit, uti in Physicis sumitur, sive instantanea, aut æterna*. Unde patet, hanc Verbi conditionem ad infinitam durationem, quam assignificant æternæ Dei actiones, ac-



commodari posse, ut *sqnt*: generate filium, spirare Spiritum Sanctum, prædestinare credituros.

XXIX. Nec obstat, quòd *quædam Nomina* non significant absque tempore, qualia sunt: *annus, mensis, dies, hora*. Aliud quippe est, ex se, primò, & principaliter seu formaliter denotare tempus, quod fit in allegatis exemplis; aliud verò, esse *ωροσσημασίαν* seu præter principalem temporis significationem, indicare temporis differentiam. Etenim hoc est Verbi proprium, nec ullo modo ad Nomen referri debet. Forsan aliquis *obicere* posset: *prandium* tamen importare quandam notationem præsentis: *posterius, nepotes, futuri: majores, avi, atavii*, præteriti temporis significationem secum trahere. Ad hoc *respondetur*; hoc fit *per accidens*: neque connotant illæ voces revera tempus, tanquam mensuram alicujus actionis, quod in solis Verbis usu venit.

XXX. Deinde differunt Nomen & Verbum etiam in eo, quòd *illud* fieri possit *Subiectum*; hoc verò semper nota eorum, ut supra dictum est, quæ de alio prædicantur seu *Prædicatum*. Neque est, quòd quis *regerere* velit: Verbum nonnunquam etiam Subiecti loco in oratione poni posse, ut cum dico: didicisse fideliter artes emollit mores: qui temerarius est, ille peribit in periculo: qui credit in Christum, salvabitur; item: amo est verbum primæ conjugationis. Quod enim attinet *triprionum* exempla, R. in illis Verbum aut degenerare in Nomen, aut cum alio nomine vel pronomine jungi, & efferri ut Nomen, adeoq; etiam officio Nominis fungi. In ultimo autem exemplo non attenditur Verbi significatio, sed illud tantum materialiter capitur. Hic verò tale Verbum intelligo, quod non solum maneat Verbum, & solitariè ponatur, sed etiam formaliter accipiatur.

XXXI. Tandem quoque accedendum est ad ipsam *copulam EST*, per quam partes materiales, Subiectum & Prædicatum, copulantur, quæ ponitur vel explicitè, vel implicitè, quaq; mediante omnis oratio verum aut falsum enunciat. Constat verò multas de hac copula fieri controversias, multosq;



tosq; etiam errores inde propullulare. Omnes ordine enarrare, operæ pretium non esse autumo. *Duas tantum, & quidem principes in medium adducam, veramq; sententiam breviter substernam, paucisq; confirmabo.*

XXXII. Reperiuntur, qui acriter urgent, copulam non esse *internam & essentialem Prædicati affectionem* arctè cum Prædicato connexam, sed constituere partem peculiarem à Subjecto & Prædicato distinctam. Et pro hac sententia pugnant ob varia *argumenta*; inter quæ hoc est præcipuum: Quæ sententia evertit ac destruit omnem *Propositionum conversionem*, illa est falsa, adeoq; non admittenda. Sed hæc, quòd copula sit pars Prædicati, est talis. Ergo &c. Nam si copula, inquit, esset pars Prædicati, in eoq; ut essentialis & intrinseca affectio contineretur, tunc, quando Enunciatio convertitur, in Conversione quoque Prædicati haberetur, cum tamen sæpissime omittatur. Quandoquidem verò copula in Conversionibus non simul cum Subjecto & Prædicato Propositionis mutatur, ad Prædicatum, ut pars vel conditio essentialis nequaquam referri poterit, sed constituet partem peculiarem. *Verum* responderetur negando illud, quòd nimirum copula EST omittatur quoad suam vim & potestatem, quam antea in Prædicato exercuit. Virtute enim & implicitè continetur in Subjecto, e.g. hæc Propositio: *O. homo est animal*, bene convertitur sic: *E. Quoddam animal est homo.* Nam sensus est. *Q. quod est animal, (non fuit, aut erit) est homo.* Deinde distinguendum est inter partes materiales & formales. Partes materiales in conversione Propositionum commutantur, unde conversio mutatio Extremorum dicitur. Copula verò ut formaliter est copula, non est pars Propositionis.

XXXIII. Unde manifestum est, errare eos, qui hanc sententiam fovent. Quis enim adeò lippit, ne perspiciat, falsum hoc esse, atque absurdum inde emanare, si quis dicat, copulam EST, quando actu in ternariis Enunciationibus ponitur, esse peculiarem & sic tertiam Enunciationis partem? Sequeretur enim inde, quòd posterius Nomen solum foret Præ-



dicatum, ut cùm dico: Christus est homo; Nomen *homo* esse Prædicatum. Denique hoc inde fluere: omnem syllogismum, quatuor terminis constare, unumq; terminum ter in syllogismo poni debere, quod & absurdum est, & contra ipsas regulas syllogisticas militat.

XXXIV. Rejeda verò hac opinione, vestigiis Excell. D. Scharff. insisto, contrarium statuens: Copulam nimirum EST omnino esse essentialem *Prædicati conditionem* intimè cum Prædicato conjunctam. Ut autem hæc sententia eò facilius imbibatur, primò omnium accuratè hîc notanda veniunt, quæ supra de partibus Enunciationis dicta sunt. Porro advertendum est, officium verbi substantivi EST *triplex* esse. Primò enim significat certum *tempus* videlicet præsens, quemadmodum fuit & erit præteritum & futurum. Secundò notat rei *existentiam*, estq; in Enunciativis orationibus altera pars, & vocatur EST *συνεπιπικόν*: item EST secundi adjacentis. Tertio habet vim *copulandi*, per quam duo Extrema connectuntur. Dicitur aliàs *συνζυγικόν*; item EST tertii adjacentis, quia expressè præter Subjectum & Prædicatum adjicitur. Et hoc intellectum volo, quando assevero: Copulam non esse partem à Subjecto & Prædicato distinctam, sed esse Prædicati internam & essentialem quandam affectionem, ita ut à Prædicato avelli nec possit, nec debeat.

XXXV. *Probationem* hujus conclusionis peto primò ex *conditione Prædicati*: hoc enim necessariò requirit aliquod Verbum; quippe nudum Nomen non potest absolvere Prædicatum. Secundò: *ex officio seu natura Verbi EST*, quod non tantum connectit partes Enunciationis materiales, Subjectum & Prædicatum, sed denotat quoque essentialiam, simulque adsignificat tempus, quæ duo officia intimè Prædicato inhaerent. Unde palam est, etiam Verbum EST intimè contineri in Prædicato illo, cui de se communicat temporis adsignificationem. Tertio: *ex Enunciationum conversione*, in qua integrum Prædicatum debet transponi, quod sine Verbo nequaquam fieri potest.

Sic



Sic v. g. hæc propositio: O. virtus est habitus, ita convertenda erit: Quoddam, quod est habitus, est virtus.

XXXVI. Altera controversia, est hæc: num Tropus possit esse in copula EST, an non? Nonnulli eò prolapsi sunt, ut copulam EST Tropo inflexam esse, audacter affirmare haud dubitarint, causæ suæ præsidium petentes inde, quòd hoc stylo tum sacro tum profano usitatum sit. Quare hinc inde colligunt exempla, quibus id ostendere conantur. Quæ nec chartæ angustia caperet, & præterea etiam cuncta adducere, nimis tædiosum foret.

XXXVII. Nos asserimus: copulam EST omni ex parte à Tropo immunem esse. Hanc autem sententiam probo 1. ab ipsa copula EST, quæ non est vox significativa, sed consignificativa: quippe quæ non enunciat aliquid per se, sed partes Enunciationis materiales duntaxat conjungit. At Tropus tantùm in vocibus Categorematicis locum habet. Cùm igitur copula EST sit vox Syncategorematica, Tropum in illa locum invenire non posse, in professo est. 2. à natura Tropi: quippe *τρόπος ἀπὸ τοῦ τροπέω* dicitur, quoniam vocem à nativa significatione vertit, mutatque in alienam. Est enim Tropus nihil aliud quàm verbi seu sermonis à propria significatione in alienam mutatio. Hinc cum B. D. Höpffnero ita argumentor: Quicquid per se non significat, sed tantùm consignificat, illud non potest Tropum continere. Quod enim non habet significationem, ejus significatio non potest mutari: quippe non Entis nulla sunt accidentia. Atqui copula per se non significat, sed tantùm consignificat prædicati connexionem seu principalem significatum in Verbo cum Nomine. E. ejus significatio non potest mutari, & per consequens, Tropus in ea nullus esse potest.

F I N I S.





**I**N medium prodis, Logicum certamen inire  
Jam cupis, ut monstres, quid Witeberga queat.  
Id cœptum laudo, simul ac tibi consulo, Perge;  
E Logicis studiis præmia certa feres.

*attestanda benevolentia*

*e.*

Christophorus Notnagel  
Prof. P.

*Eximio ac Præstantisimo*

**DN. GODOFREDO BECCIO,**

Fautori & Amico suo colendo.

**S**ic commodè nunc promis illa, quæ tuo  
Tibi labore comparasti strenuo,  
Amice BECCI. Namque quid vel maximas  
Conferre ditias juvet, si conditæ  
Semper tenentur, nec frui miseris licet?  
Deprome dotes, quæque doctè à Te semel  
Hic posita sunt, mox eruditè disputa.

Progredere, & urge porro, quam premis, viam:  
Non deerunt his digna quondam præmia.  
Agenda nobis interim, quæ nostra sunt,  
Dum reliqua agenda nos DEO relinquimus.  
Applaudo, & omne comprecor cœptis tuis,  
BECCI, tuis laboribus faustum ac bonum.

*Gratulab.*

*fac.*

M. Johannes Andreas Lucius,  
Dresd.



Ung VI 73

ULB Halle 3  
004 108 515  












54

OGICA,

NUNCIA-

E GRATIA,  
CADEMIA,  
DIO

DREÆ LUCII,

S.  
obris,

onem instituet  
Möccarenfis Saxo,

E  
Acad. Typogr.  
LI,